AUTHOR:

PETRI, H.

TITLE:

COMMENTATIONIS DE AESCHYLI SUPPLICUM...

PLACE:

HERFORD

DATE:

1860

Master Negative #
91-80230-30

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Petri, H
...Commentationis de Aeschyli Supplicum stasimo primo particula I., scr. H. Petri ... Herford, Heidemann, 1860.
8 p. 27 x 21 cm.


"Programm der Evangelischen Friedrichs-Gymnasiums zu Herford, Ostern 1860."
Bound with: Herwig, Christian. Das ethisch-religiöse fundament der äschyleischen tragödie... 1878.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/10/91 INITIALS RIC
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Aeschylus Supplices

no. 2

PROGRAMM

des

Evangelischen

Friedrichs-Gymnasiums

zu

HERFORD.

Ostern 1860.

Inhalt: 1) *Commentationis de Aeschyli Supplicum stasimo primo particula I.*, scr. H. Petri.
2) *Schulnachrichten* von dem Director Dr. Schmidt.

Herford 1860.
Gedruckt bei E. Heidemann.

Commentationis de Aeschyli Supplicum stasimo primo particula I.

Fabularum Aeschyliarum emendatio quibus potissimum fundamentis insistere debeat, postquam God. Hermanni in Aeschylum curis in lucem proditis novum quasi incrementum cepit summi hujus poetae tragoediarum tractatio, cum alii viri docti, tum nuper docuit G. Dindorfius in praefatione editionis Aeschyli fabularum, quae Lipsiae apud Teubnerum abhinc tres annos prodiit. Etenim apud omnes, qui huius poetae codicum naturam atque originem recte perspexerint, constat ad unum omnes libros manuscriptos e communi fonte codicis Medicei sive Laurentiani fluxisse, ita quidem, ut, quae in transscribendo vitia reperisse sibi visi sunt grammatici, ea aliter alii emendare conarentur. Ita factum est, ut ad hunc codicem fere solum recurrere debeant, qui, quae genuina Aeschyli verba fuerint, e librorum vestigiis eruere instituant.

Quae cum ita sint, nihil hodie tantopere optandum esse apparet, quam ut aliquis talem eius libri continuam collationem parare atque edere velit, qualem ad Septem ad Thebas fabulam Ritschelii viri amplissimi in usum fecerunt Prienius et O. Ribeckius, prolatam illam in editione huius fabulae a Ritschelio curata a MDCCCLIII. Praeter Hermanni autem editionem longe primum locum obtinet Dindorfii, quam supra diximus. Quae cum ita comparata sit, ut eis tantum restituendi conatibus et suis et aliorum receptis, qui aut certi essent aut ad veritatem proxime accedere viderentur, omnia, quae cum aliqua veritatis specie sanari nondum potuerunt, integra et intacta relinquat, facile intelligi potest, melius hunc virum doctum de poetae textu in integrum restituendo meruisse, quam qui omnium cuiuscumque notae codicum scripturas in adnotationibus congesserunt, pro poetae verbis sua ineptissima interdum inventa lectoribus protulerunt editores.

Sed praeter codicem alia emendaturis praesto sunt levioris momenti subsidia. Quorum quae eidem manuscripto libro scholia a librario quodam adscripta sunt, qua ratione et quam caute eis uti debeant, et Dindorfius demonstravit (praefat. p. VI) et, quem mihi adire non licuit, Frey, in dissertatione Bonnae a. MDCCCLVII edita. Nihil dico de Hesychio, qui felici quadam fortuna doctissimum et acutissimum nactus editorem M. Schmidtium uberrimos emendationis fructus percipiendos praebebit ei, qui ex tali fonte haurire didicerit.

Fabularum Aeschyli praeter Agamemnonem, quae intra paucos annos Schneidewinum, Engerum, Weilium habuit editores, ultimo hoc tempore Supplicum tragoedia magis quam antea virorum doctorum studiis pertractata est. Sed qui novissime eam edidit, Schwerdtius, eius librum quidem ipsum mihi non fuisse ad manum doleo, cum mihi e censura tantum Schmidtii innotuerit, inserta novis annalibus phill. tom. 79, p. 97 sqq.

Supplicum fabula quo tempore ab Aeschylo docta sit, quem locum habuerit inter tres trilogiae dramaticae fabulas, cum neque constet, neque hic disceptare locus sit, nunc quidem omittam; de argumento vero, sive, ut hoc verbo utar, de idea trilogiae, contra Bergkium [1]) et C. O. Muellerum [2]) cum Bernhardyo (Hist. Litt. Gr. II., p. 282.) facio, illorum sententiam impugnante, quamquam, quid in hac trilogia spectatores docendum sibi sumsisse putet poetam, cum non liceat ex fragmentis ceterorum duorum dramatum pro certo cognoscere, non exponit. Non enim dubitandum est, quin, ut in aliis trilogiis, ita in hac quoque divini aut humani iuris aliquod decretum docendum et comprobandum rebus quae in scena aguntur, sibi proposuerit poeta; quale quidem fuerit in ea, quae Supplices continebat, trilogia, si minus asseverandum, at vero suspicandum licet ex fragmento Danaidum, ultimae, ut videtur, trilogiae fabulae, quod est apud Athenaeum XIII, p. 600. A. (Fr. 45 apud Herm.) Neque aliter Schmidtius quoque (cens. ed. Schwerdt. p. 103 sqq.) sentire videtur. Ut enim paucis dicam quid sentiam: argumentum trilogiae id fuisse puto, ut poeta demonstraret, secundum novas easque mitissimas deorum graecorum leges non debere vi cogi mulieres ad matrimonium sibi invisum ineundum, sed mutuo amori suum ius esse in rebus nuptialibus.

Quod autem ad res attinet in hac fabula narratas, non brevius simulque plenius a quoquam possunt enarrari, quam fit poetae versibus qui sunt Prom. v. 853—859:

πέμπτη δ᾽ἀπ᾽ αὐτοῦ (i. e. ἀπ᾽ Ἐπάφου) γέννα πεντηκοντάπαις
πρὸς Ἄργος οὐχ ἑκοῦσ᾽ ἐλεύσεται
θηλύσπορος, φεύγουσα συγγενῆ γάμον
ἀνεψιῶν· οἱ δ᾽ ἐπτοημένοι φρένας,
κίρκοι πελειῶν οὐ μακρὰν λελειμμένοι,
ἥξουσι θηρεύοντες οὐ θηρασίμους
γάμους, φθόνον δὲ σωμάτων ἕξει θεός.

Ex eis autem quae hos versus excipiunt, (— v. 870) haud improbabiliter posse coniectari opinor de duarum reliquarum fabularum rebus; sed nunc haec mitto.

Fabulae initium eo ab aliarum fabularum exordiis differt, quod omisso quem dicunt prologo statim parodum recitans chorus prodit in scenam; id quod in Sophoclis quae restant fabularum nulla, apud Euripidem bis, apud Aeschylum etiam in Persis fieri videmus. Jupiter, inquit chorus, hospitalis benigne excipiat nos, quae ab Nili ore profugae huc venimus, non caedis damnatae, sed sponte nostra, cum metuamus nefarium Aegypti filiorum coniugium. Movit autem nos ut huc potissimum appelleremus, Danai patris auctoritas; nam ex Argo Jo genetrix originem ducit. Itaque vos, o summi dei, et terrae heroes, et te, Jupiter, qui patrocinaris supplicibus, vocamus, ut et mulierum turbam excipiatis propitii, et repellatis hostium agmen in mare, ubi pereant procellis fluctibusque, priusquam, unde fas eos arcet, torum patruelem conscendant.

---

[1]) Comment. de cant. Suppl. Frib. 1857. Sententiam eius his verbis Bernhardyus reddit, „dass sie (die Trilogie) nicht mit einer sittlichen Idee, sondern mit blos historischen Interessen an der Vorgeschichte der Hellenen zu thun hatte.“

[2]) Hist. litt. Graec. t. II, p. 92, ed. I.: „Was dieser Handlung an ethischer Bedeutung abgeht, ersetzt für Aeschylos das historische Interesse,“ — „Aeschylos steht durchaus noch auf dem Standpunkte, wo die National-Mythen nicht als anmuthige Dichtungen, sondern als Zeugnisse der über Griechenlands Schicksalen waltenden Göttermacht gefasst werden.

Jamque sequitur carmen strophicum, ex octo stropharum paribus constans. Quarum primum, v. 41—53, unum enuntiatum usitato longius continet, haud raro apud Aeschylum exemplo (cf. Bernhardy II, 2, p. 248). Structura autem periodi ea est, ut verba νῦν δ᾽ ἐπικεκλομένα Δῖον πόρτιν (v. 41) per epanalepsin repetantur v. 49: ὄντ᾽ ἐπιλεξαμένα, quod verbum et a scholiasta recte explicatur ἐπικαλουμένη, et, quod Abreschius primus vidit, huc spectat Hesychii glossa: ἐπιλεξαμένα· ἐπικαλεσαμένη. Itaque cum Hermanno sentio non posse ferri, quod cod. Med. exhibet, τά τε νῦν ἐπιδείξω: de quo infra videbimus. Prius enim explorandum est, quid valeant verba ἶνιν βοὸς ἐξ ἐπιπνοίας Ζηνὸς ἔφαψιν. Ad quem locum recte intelligendum respicere oportet ad ea quae de eadem re narrat Prometheus, Prom. v. 848 sqq., ita a Dindorfio, cuius emendatio mihi quidem maxime probabilis esse videtur, restituta:

ἔνθα δή σε Ζεὺς τίθησιν ἔμφρονα
[ἐπαφῶν ἀταρβεῖ χειρὶ καὶ θιγὼν μόνον],
ἐπώνυμον δὲ τῶν Διὸς γέννημ᾽ ἀφῶν
τέξεις κελαινὸν Ἔπαφον κτλ.

Quaeritur enim quid significare voluerit Aeschylus Epaphi nomen; quod cum inditum esse dicat ab eis quae ipsi vel potius matri eius contigerit tum cum Jupiter eam ex iuvenca in humanam speciem restituit, fecit, quod post Homerum (cf. Od. I, 407 sqq.) tragicis poetis usitatissimum fuit; de qua re cf. Schneidew. ad Ant. v. 111. Ducit igitur poeta nomen Epaphi ab ἐφάπτω vel ἐπαφάω, sed falso id quidam interpretati esse videntur ita ut Jupiter tactu suo (ἐπαφῶν καὶ θιγὼν μόνον) Jonem mentis compotem fecisse dicerent; falso, inquam, „quia mentis compotem Jupiter etiam nutu et sola voluntate reddere poterat“ (Hermann ad Prom. v. 282); quo ficto sensu ductum glossatorem quendam versum illum (v. 949) a Dindorfio uncis inclusum adscripsisse puto, quia, quo re vera ἐπώνυμον illud referendum est, ἀφῶν, iam corruptum erat; codices enim γεννημάτων pro γέννημ᾽ ἀφῶν praebent. Id potius indicandum erat, contactu Jovis virginem gravidam factam Epaphum peperisse; quod nisi acceperis neque hunc de quo agimus locum, neque alios quosdam Supplicum huic simillimos intelligere poteris. Nempe eisdem fere verbis utitur Aeschylus paucis versibus antea, v. 18, ἐξ ἐπαφῆς κἀξ ἐπιπνοίας Διός, i, e. e contactu et afflatu Jovis, genus nostrum originem trahit; v. 313 Iupiter ἐφάπτωρ χειρὶ φιτύει γόνον; eandem vim habet v. 535. Ζεὺς ἐφάπτωρ Ἰοῦς; at paulo diversa significatione positum est ῥυσίων ἐφάπτορες, v. 728. ubi est praedam sibi vindicantes. Omnibus his locis perpensis ἐφάπτω (ἐπαφάω) verbi vim fere congruere existimo cum contrectandi notione, quod verbum, licet sensu turpi, ita usurpant Sueton. Dom. c. 1, Tac. ann. XIV, 35, Plaut. Poen. 5, 5, 31; cf. Cic. Nat. D. I, 27. De substantivo abstracto pro concreto posito cf. Matthiae, Gr. Gr. pag. 775, ubi e Sophoclis Antigona exemplum affertur, v. 533, ἐπαναστάσεις θρόνων; ἔφαψις igitur est is, qui ἐφάψει, contrectatione, procreatus est.

V. 43 ἶνιν τ᾽ legitur, a Dindorfio retentum; equidem copulae hic qui sit locus non video, immo cum Hermanno rationi eam repugnare arbitror. Solet enim Aeschylus epithetis non parce uti, velut v. 795, Sept. 916. cf. Schneidew. ad Agam. v. 142.

De antistropha editores dissentiunt; nec, si de verbis verum assequi volemus, id nisi de re antea inquisiverimus, facere possumus. Invocato igitur Epapho Danai filiae sese allaturas esse dicunt certa testimonia (ἐπιδείξω πιστὰ τεκμήρια), se non tamquam alienigenas advenisse, sed ex hac ipsa terra oriundas; ita scholiasta quoque interpretatur, ἐπιδείξω πιστὰ τεκμήρια,

ὡς οὐ ξένος ὢν ἐλεύσεται, ἀλλ᾽ εἰς προγόνων τὴν γῆν. Cuinam autem virgines haec demonstrare volunt? cui, nisi terrae incolis ad quos confugerunt quibusque se cognatas esse praedicant. Probo igitur Hermanni coniecturam γαιονόμοισιν, quam a Dindorfio quoque receptam frustra impugnat Schmidtius in censura editionis Schwerdtianae (l. l. p. 100). Quas enim profert ille rationes contra hanc emendationem eas inanes esse iam videbimus; inculcari, inquit, poetae verbum nusquam alibi repertam; at cum Aeschylum permulta atque inaudita verba et finxisse et solum usurpasse constet, cumque ποιόνομος analogiam sequatur ἀνθόνομος (v. 48) γαιόνομος (v. 539) vocum, nulla inde suspicio movetur; non minus, quam altera ratione, non nominari, apud quos illa testimonia sint prolaturae; proferent enim apud Argivos, qui sunt γαιόνομοι.

Sed iam quae haec praecedunt verba consideranda sunt, haec: νῦν, ἐν ποιονόμοις ματρὸς ἀρχαίας τόποις τῶν πρόσθε πόνων μνασαμένα, τά τε νῦν ἐπιδείξω κτλ. In quibus nihil nisi τά τε νῦν corruptum esse dico, cum „non solum vix explicari possit, sed etiam vitii arguatur tertiam posito νῦν," (Herm. ad. h. l), cum praeterea genitivus desideretur ad τεκμήρια. Itaque lenissima mutatione τὰ γένους scribo, eadem signifatione qua Hermanni γονέων, quod probarem nisi nimis a verbis codicis discreparet. Restat ut cetera interpretemur; οἱ πρόσθε πόνοι Jonis mala sunt; schol.: τῆς Ἰοῦς τοὺς πόνους ἐγὼ διηγουμένη; de his malis, inquiunt, mentione facta apud Argivos certis de genere nostro argumentis comprababimus ipsis necopinantibus, nos esse eorum consanguineas. Haec igitur strophae et antistrophae erit conformatio:

στρ. α΄. νῦν δ᾽ ἐπικεκλομένα
Δῖον πόρτιν ὑπερπόντιον τιμάορ᾽, ἶνιν
ἀνθονομούσας προγόνου
βοὸς ἐξ ἐπιπνοίας
Ζηνὸς ἔφαψιν· ἐπωνυμίᾳ δ᾽ ἐπεκραίνετο μόρσιμος αἰὼν
εὐλόγως, Ἔπαφον δ᾽ ἐγέννασεν·

ἀντ. α΄. ὄντ᾽ ἐπιλεξαμένα,
νῦν ἐν ποιονόμοις ματρὸς ἀρχαίας τόποις τῶν
πρόσθε πόνων μνασαμένα
τὰ γένους ἐπιδείξω
πιστὰ τεκμήρι᾽ ἃ γαιονόμοισιν ἄελπτά περ ὄντα φανεῖται.
γνώσεται δὲ λόγους τις ἐν μάκει.

Stropha et antistropha β΄. In comparatione quae est in altero stropharum pari virginum supplicum cum luscinia haud pauca sunt, quae et emendatorem et interpretem offendant; quas offensiones ita auferre conabimur, ut primum videamus, quomodo haec et cum praecedentibus cohaerescant et eis quae sequuntur continuentur, tum codicis verba examinus.

Virgines cum ex Aegypto properatis navibus propter metum, ne a patruelibus matrimonium inire sibi invisum vi cogerentur, Argos venissent, minime iam metu erant liberatae; nam cum inimici eas persequebantur, tum ipsae, quid sibi in terra aliena a gente cognata quidem verum ipsis prorsus incognita sit eventurum, incertae animis pendebant. His angustiis circumventae preces effundunt ad omnes deos, ad Epaphum denique, ut sibi adesse velint; similes se esse dicunt Procnae, Terei uxori miserae, i. e. lusciniae, ab accipitre excitatae sortemque et suam et Ityos filii querenti, quam ipsa impia manu trucidavit. Sententiarum ordo igitur hic est, ut in stropha secunda

dicatur, si quis indigenarum virgines lamentantes audiat, ei suspicionem motum iri se percipere vocem miserae Terei uxoris, Procnae, i. e. lusciniae, ab accipitre exagitatae; ut antistropha causas querelarum lusciniae addat, quae sunt duae, quod est remota a consueta sede et quod Itys filius ab ipsa matre necatus est; ut denique stropha tertia redeat ad virgines dicatque, similiter eas quoque et dolore et metu angi. Id igitur, quod utrisque, et virginibus et Procnae, commune est, propter quod comparatio fit, est primum querimonia ab amissam sedem, tum metus hostis persequentis, quo accedit apud utrasque odium matrimonii nefandi. Reiicienda autem est Schmidtii opinio, comparari virgines non cum luscinia tantum, verum etiam cum hirundine. Confunduntur enim diversae unius fabulae narrationes; quam quidem speciem Aeschylus fecutus sit, ei dubium non esse potest, qui, qualem poeta et apud prioris et sui temporis scriptores invenerit, reputabit. Memoratur autem fabula primum apnd Homerum, Od. τ, 518; is enim dicit, Aedonem, Pandarei filiam, suam et Zethi coniugis filium Itylum necavisse δι᾽ ἀφραδίας. At prorsus diversa traduntur ab Hesiodo, Op. 566 (coll. Aelian. V. H. XII) a Thucydide, II, 19, ab Apollodoro, III, 14, ab ipso Aeschylo, Agam. 1143, a Sophocle, El. 107. Quibus testibus omnibus collatis, fabulae formam apud poetas atticos vulgatam eam esse, quae ab Apollodoro traditur, apparet, nec dubium, quin hoc quoque loco Aeschylus eam secutus sit. Apud eos autem Procne non in hirundinem, sed in lusciniam, Philomela vero in hirundinem commutatur, cum diversa ratio obtineat apud romanos et postremi temporis poetas graecos. Omnes locos qui de hac fabula agunt, nuperrime congessit Winckler in Ztschr. f. A. W. 1859, Febr. p. 150; cf. Voss ad Virg. Bucol. V., 78 et Staveren ad Hygin. fab. 45. Imago ipsa autem ita est conformata, ut, quae est fabula de Tereo eiusque coniuge Procna deque nece Ityos, misceatur cum eo, quod quaevis luscinia patitur, ubi ab accipitre vexatur; pertinent enim ad illam fabulam ὄπα τᾶς Τηρείας μήτιδος οἰκτρᾶς ἀλόχου, et ξυντίθησι δὲ παιδὸς μόρον — ἔθεν, ad alterum κιρκηλάτου — ἠθέων.

His ita expositis iam verba ipsa apponam, tacite correctis eis, quae aperte corrupta omnium editorum consensu iam dudum sanata sunt.

στρ. β΄. εἰ δὲ κυρεῖ τις πέλας οἰωνοπόλων
ἐγγάιος οἶκτον αἴων
δοξάσει τις ἀκούειν ὄπα τᾶς Τηρεΐας
μήτιδος οἰκτρᾶς ἀλόχου,
κιρκηλάτου τ᾽ ἀηδόνης,

ἀντ. β΄. ἅτ᾽ ἀπὸ χώρων ποταμῶν τ᾽ ἐργομένα
πενθεῖ νέον οἶκτον ἠθέων·
ξυντίθησι δὲ παιδὸς μόρον, ὡς αὐτοφόνως
ὤλετο πρὸς χειρὸς ἔθεν,
δυσμάτορος κότου τυχών.

Procne dicitur v, 4. et 5. Τηρεία ἄλοχος οἰκτρὰ μήτιδος, i. e. Terei uxor deploranda propter infelix consilium quod cepit filii mactandi; neque enim Hermanno adstipulor, hanc interpretationem contortam et perversam dicenti. Quod autem et scholiasta dicit et Hermannus probat, τὴν Τηρείαν μῆτιδα esse κατὰ περίφρασιν τοῦ Τηρέως, id tantum abest ut verum sit, ut nullo modo ferri possit. Nam quoties istius modi περιφράσεις a poetis pro nominibus propriis usurpantur, semper ita fit, ut substantivum praecipuam aliquam hominis, cuius nomen circumlocutione significatur, virtutem

denotet, velut βίη Ἡρακληείη, alia. Tereum vero μήτιδος, i. e. consilii, prae ceteris fuisse participem, it a ut μῆτις Τηρεία possit poni pro Tereo, nemo contendet.

Ultimi strophae versus scriptura, κιρκηλάτου τ᾽ ἀηδόνης, qua Hermannus lusciniam a Philomela (immo a Procna, Terei uxore, v. quae supra demonstravimus) inepte distingui recte dicens κιρκηλάτας ἀηδόνος scripsit, aperte orta est a librario quodam, qui ignarus genuinae huius fabulae formae verba ita corrigenda esse duxit, ut uxor Terei, i. e. Procna distingueretur a sorore, quae erat Philomela sive luscinia. Itaque cum Hermanno κιρκηλάτας ἀηδόνος scribendum, nisi, id quod Marckscheffelium tueri me docet Schmidtius, l. l. p. 102, ἀηδόνης forma pro ἀηδόνος tibi praeferatur.

V. 63 ab Hermanno, collatis Hom. Odyss. τ. v. 518 sqq. ἅτ᾽ ἀπὸ χλωρῶν πετάλων ἐγρομένα ingeniose restituta, nec, quod proposuerunt I. C. Schmitt (Nov. ann. tom. LXXVII, p. 228) et Martinus (Progr. Gymn. Posn. Fr.Guil. 1858) ἀπὸ χώρων προτέρων, quamvis aptum sit ad sententiam postulatam, veram esse puto, quia minus id poetice dictum Aeschylo grandiloquo minime dignum esse persuasum habeo.

V. 64. οἶκτον retineo cum Dindorfio; ad νέον οἶκτον explicandum sufficiunt quae Hermannus comparat exempla ad v. 327.

Stropha et antistropha tertia. In stropha omnia recte procedunt, si cum Engero (in censura editionis Hermannianae nov. ann. tom. LXX, p. 361 sqq.) ita legimus v. 5: δαιμαίνουσα, φίλος τᾶσδε φυγᾶς ἀερίας ἀπὸ γᾶς εἴ τις ἔστι κηδεμών, i. e. pavida circumspiciens, num quis forte e terra tenebrosa fugam mibi sublevet amicus. Nam ΦΙΛΟC literis uncialibus scriptum et φίλος et φίλους esse posse notum est.

Quod in sequentibus virgines, cum ad deorum aras supplices confugerint, a deis precantur, hoc uno continetur, ut sibi iusti esse velint; ius autem supplicum id erat, ut ne quis eos laederet neve contumeliose protraheret ab aris. Nunc quidem nihil amplius desiderant, nisi ut, quod summo eis odio erat, cognatorum matrimonium procul a se arceatur; non desiderant, quam Ioni contigisse haud immemores sunt, voluntatem Jovis erga se, non sperare audent fore, ut omnia sibi perfecta optataque eveniant, ut repulsis impiis illis et invisis procis aliud in matrimonium collocentur, quale describitur vv. 1038 sqq.

Haec si recte disputata esse nobis persuaserimus, in antistrophae versibus, una eaque lenissima mutatione excepta, cetera haud tangenda erunt. Iu altero enim versu cod. Med. ἡ καὶ habet, ubi Parisini ἥβαι non nisi librarii vel errori vel coniecturae deberi apparet, cum, quod M. Hauptius praef. edit. Hermann. p. VII) animadvertit, a codice Mediceo ille liber ita tantum discrepet, ut dissimilitudo ex describentis negligentia et aliquo etiam emendandi conatu orta sit. Itaque in illo ἡ καὶ, quod aperte vitiosum est, εἰ καὶ latere suspicor, nec timeo ne hoc si reponam, nimiae audaciae coarguar. Quamquam quod Schmidtio placet, ἦ vel ἢ propius etiam accedit ad libri vestigia; sed tamen quominus ita scriptum fuisse credam vetat me, quod hic nec coniunctionem disiunctivam locum habere neque affirmatione (ἦ i. e. profecto) opus esse apparet. Itaque quod scripsi, ita verto: si minus aliquid perfectum nobis concedentes praeter fati decretum, attamen re vera superbiam perosi, e. q. s.

Quid scholiasta legerit, cum in v. antistrophae quarto ad ἔνδικοι γάμοις, ut nunc legitur, adscripserit: ἐπὶ τοῖς νεμομισμένοις καὶ δόξασιν ἡμῖν, multum viri docti disputaverunt. Equidem neque γάμοις, neque, quae est Hermanni opinio, νόμοις, ab eo lectum esse puto, quorum neutro

lucis quidquam verbis illis affertur; desideratur potius praepositio quaedam, ut habeamus, quod ἐπί voculae respondeat, atque haud scio an ἐν δίκαις ἐμαῖς verba a scholiasta explanata fuisse putandum sit. Sed tamen ut ita fuerit, praeclare sese habet ἔνδικοι γάμοις, i. e. quodsi quae a vobis precata sum, mihi praebueritis, iusti eritis nuptiis meis, vel, facietis, quod aequum et iustum est mihi cui invisae nuptiae minantur. Ceterum monendum esse duxi, quod Dindorfius in scholiorum editione p. 151, versui 78 attribuerit, τὴν τῶν Αἰγυπτιαδῶν, non ad μὴ τέλεον pertinere, sed ad v. 80, ὕβριν [1])

Stropha et antistropha quarta. Quod supra demonstravi, virgines nunc quidem nihil a Iove petere, nisi quod ex iure supplicum recte se postulare posse sciunt, id quomodo intelligendum sit, ex eis, quae in stropha insequenti deinceps disputantur, plenius perspicitur. Supplices enim quominus ab aris deorum abstrahantur, arcet δαιμόνων σέβας [2]), veneratio deorum atque imprimis Iovis, quem iustum essse sciunt et acrem vindicem eorum qui supplicantes violant. Atque id quidem certissime ita se habet: verum amorem Iovis non tam facili negotio quisquam impetret, sicut Ioni contigit, ut, quamvis ipsa miseriis fuerit obruta, ubique tamen Iovis erga eam voluntas etiam in tenebris eluceret. Opponuntur itaque inter se iustitia et voluntas Iovis (ἵμερος, e. i. desiderium, v. infra); quarum illa spectatur ex eo, quod noxios poena afficit. Hoc vel simile quoddam versus primi verbis inesse debere apparet, quae corrupta tradita aliter alii emendare studuerunt. Scriptum est enim:

εἰ θείη Διὸς εὖ παναληθῶς.

Quod Schützius scripsit probante Engero εἰ θείη θεὸς εὖ παναληθῶς, idcirco non placet, quod non alicuius dei, sed ipsius Iovis ἀφίκτορος, v. 1., (idem dicitur αἰδοῖος, v. 192, ἵκτιος v. 385) erat, virgines tueri, neque omnino sententiarum connexui talis optatio apta est. Nec minus Hermannus verum assecutus esse videtur, cum scribat, ἰθείῃ Διός (Hesych. [ε]ἴθεια· δικαιοσύνη) quia primus strophae versus nisi novum aliquid et cum gravitate dictum affertur, suapte natura non ab insequentibus divellendus et cum praecedentibus tam arcte coniungendus est. Nihil autem causae est, cur quae praecedant verba cum tanta vi et gravitate confirmentur, praesertim cum non sua ipsorum causa addita sint, sed tantum ad illustrandam eam, quae est primaria antistrophae tertiae sententia, diis ius esse tuendum. Itaque nibit ut ad rem aptius ita ad literarum ductus propius esse accedens puto quam εὐθύνα Διὸς εὖ παναληθῶς, ad quod, si recte coniectum est, Hesychii fortasse glossa spectat; εὐθύνα· δικαία διόρθωσις (idem εὐθύνας· τιμωρίας, δίκας). Iovis iustitia, inquit chorus, recte se habet verissime. Εὔθυνος autem substantivum persimili notione ab Aeschylo usurpatur Pers. 827 sq. Ζεύς τοι κολαστὴς τῶν ὑπερκόμπων ἄγαν φρονημάτων ἔπεστι, εὔθυνος βαρύς, et Hades dicitur Eum. 273 esse μέγας εὔθυνος βροτῶν; δίκη dicitur εὐθεῖα, i. e. iusta, Eum. 433. Alter autem strophae versus ἀσυνδέτως bis verbis adiungitur, ut, qui est εὐθύνῃ hic oppositus, Iovis

---

[1]) Similiter ad v. 434, ἀπὸ κοινοῦ τὸ μὴ τλαίης ἰδεῖν, ad v. praecedentem, ἐπιλαβὰς ἐμῶν, referendum.

[2]) V. 755 vulgo legitur τριαίνας τάσδε καὶ θεῶν σέβη, quae ita explicantur, ut θεῶν σέβη sint deorum res veneratione dignae, i. e. arae. Verum si reliquos quibus σέβας vox ab Aeschylo usurpatur locos comparaveris: Suppl. 396, 707, 777. Prom. 1091. Agam. 515 Choeph. 44, 157, 243, 645. Eum. 92, 545, 693. 703, 885., inveneris primum, ubique numerum singularem adhiberi, tum, nusquam substantivum abstractum ita pro concreto (res veneranda) poni, ut simpliciter inter se commutentur, sed semper aut ad aliud substantivum praecedens referendum esse σέβας, quod efferatur et explicetur, aut, in carminibus, cum emphasi quadam dictum esse. Itaque, cum pluralis σέβη et analogia destitutus sit neque alias reperiatur, non dubito, quin ἕδη legendum sit, ut Pers. 404 θεῶν πατρώων ἕδη; cf. Agam. 596, θεῶν ἕδραι.

ἵμερος, eo maiore effectu efferatur; nam ἵμερος verbi notionem vulgarem hic accipio, a Schmidtio quoque (l. l. p. 104) probatam, cum, quae Hermanno placet, voluntatis (der wille des Zeus) exemplis confirmari desiderem; est potius desiderium (das liebesverlangen, die neigung) ut Hom. Il. Γ., 445. Contra voluntas Iovis exprimitur antistrophae versu altero: κορυφᾷ Διὸς εἰ κρανθῇ πρᾶγμα τέλειον.

Iam totius strophae et antistrophae sententia haec erit: Iustitia Iovis certissime immota est; at Iovis desiderium non fuit facile Ioni assequi; ubique quidem elucet hominibus etiam in tenebris et atra illius sorte. Verum si quod a Iove captum est consilium, id perficietur pulcherrime (πίπτει ἀσφαλὲς οὐδ᾽ ἐπὶ νώτῳ, schol.: εἴ τι ἀνυσθῇ τῷ νεύματι τοῦ Διός, ἀσφαλῶς ἀποβαίνει); nam obscurae eius sunt viae et perspectu difficiles.

Stropha et antistropha quinta. Totius carminis longe difficillimum emendatu locum habemus in verbis, quae in libris ita scripta exhibentur:

τὰν ἄποινον (Well. ἄπονον) δαιμονίων. ἥμενον ἄνω φρόνημά πως
αὐτόθεν ἐξέπραξεν ἔμπας ἑδράνων ἐφ᾽ ἁγνῶν.

Sed in variis editorum coniecturis perscrutandis equidem haud remoraturus proferam, quae de his mihi videantur et alii recte invenisse et ipse non veri dissimilia invenerim. Primum enim acutissime vidit Schmidtius δαιμονίων corruptum esse ex δ᾽ ἁρμονιῶν, idque eo magis probandum, quod δαιμονίων si retinueris non potest aliud quid significare nisi θεῶν, cuius significationis vereor num ulla ex illius temporis scriptoribus exstent exempla; nam quod Hermannus ex Euripide affert: πολλαὶ μορφαὶ τῶν δαιμονίων, eius ratio prorsus diversa est. Ἁρμονία autem ab Aeschylo etiam Prom. 551 usurpatur: οὔποτε θνατῶν τὰν Διὸς ἁρμονίαν ἀνδρῶν παρεξίασι βουλαί, loco a nostro haud alieno. — Idem vir doctus quod ἄπονον quoque corruptum putat, non recte facit meo iudicio; retinendum enim quia ad βίαν respicit huic oppositum. — Deinde ἥμενον ἄνω mendosum esse et metrum docet et sententia, cum aperte langueat; ortum autem est ex interpretatione ad ἑδράνων ἐφ᾽ ἁγνῶν, ubi ἀφ᾽ ἁγνῶν recte restitutum est. Sed quid in eius locum substituendum sit, non facile dicas; nam Hermanni coniectura, μνῆμον ἄνω, perperam ἄνω servato, quamvis sit ceterum ad sententiam apta, mihi probari nequit; fortasse μνασάμενον scriptum fuit, ut v, 51; cf. Verg. Aen. I, 4, memorem Iunonis ob iram. Ad φρόνημα cf. Prom. 376 Διὸς φρόνημα; ad αὐτόθεν ἐξ ἑδράνων ἁγνῶν: Hom. Il. T 77; Od. ν 56; φ 420.

Itaque hunc restituendi conatum viris doctis propono:

τὰν ἄπονον δ᾽ ἁρμονίαν μνασάμενον φρόνημά πως
αὐτόθεν ἐξέπραξεν ἔμπας ἑδράνων ἀφ᾽ ἁγνῶν,

i. e. mens Iovis memor sine labore perpretrat decretum e sacra sede.

Sed haec hactenus, nam quae reliqua sunt, cum hic longum sit totum carmen persequi, alia fortasse data occassione tractanda reponimus.

Bericht

über das Schuljahr von Ostern 1859 bis dahin 1860.

I. Lehrverfassung.

A. Durchgenommene Lehrgegenstände.

1. *Lateinisch.* Cl. VI. Regelmässige Formenlehre nach Siberti und dem Uebungsbuche von Spiess. Wöchentliche Exercitien und Extemporalien 9 St. Petri. — Cl. V. Wiederholung der regelmässigen und Einübung der unregelmässigen Formenlehre; das Allgemeinste aus der Syntax, namentlich die Lehre vom Gebrauch der Casus, des Acc. c. inf. und der Abl. abs. nach Siberti und Spiess (Curs. f. V). Wöchentlich abwechselnd Exercitien oder Extemporalien 9 St. Nieländer. — Cl. IV. Die Casuslehre nach Siberti (§. 427—547), die Lehre vom Gebrauch der Tempora, Modi, der Fragewörter und Conjunctionen, das Nothwendigste über die orat. obl., Particip. und Supina. Uebersetzung der Uebungsstücke in Spiess (Curs. f. IV), und aus Cornel. (I—IX. XI. XII. XV—XVII. XX). Wöchentlich 1 Exercitium, monatlich 2 Extemporalia, Metrik nach Siberti und Franke's Chrestom. 10 St. Dr. Faber. — Cl. III. Syntax nach Zumpt. Wöchentl. Exercitien abwechselnd mit Extemporalien meist nach Süpfle, Metr. Uebungen nach Seyffert. Pal. Mus. — Caes. bell. gall. IV—VII. Ovid. Met. IV—VII nach Merkels Delectus. Memorirübungen aus Caesar und Ovid. 10 St. Dr. Knoche. — Cl. II. Syntax nach Zumpt. Wöchentl. Exercitien meist nach Seyffert's Uebungsbuch, und Extemporalien. Aufsätze; mündliche Uebersetzungsübungen. Lectüre: Cic. de imp. Cn. Pomp. und Livius XXI und Anfang von XXII. Memorirübungen aus Cic. u. Liv. 7 St. Dr. Hölscher. Metrische Uebungen nach Seyff. Pal. Mus., Virgil. Aen. I—III. 3 St. Dr. Faber. — Cl. I. Rep. der Syntax und Besprechung der wichtigsten Regeln aus der Synt. orn. nach Zumpt. Monatl. 2 Exercitien, 2 Extemporalien und Aufsätze. Metrische Uebungen im 1. Halbjahre. Gelesen wurde: Cic. or. Phil. II., de off. I., Horat. Sat. I. 4. 6. 9. II, 1. 6. Epod. 2. Od. I, 1. 32. 6. III, 30. IV, 3. 8. 9. I, 3. 24. 26. 29. III, 17. Epod. 13. Od. I, 9. 20. III, 8. II, 17. Epod. 1. 9. Od. III, 29. I, 2. 12. 14. 31. 35. 37. III, 14. 25. IV, 2. 4. 5. 14. 15. Eine Anzahl Oden und einige Satiren wurden gelernt. 8 St. Director. —

Die Themata zu den lateinischen Aufsätzen waren: A. für Cl. I: 1) Cn. Pompeius Magnus identidem bellicis suis virtutibus rei publicae salutem attulit. (A). Tarquinius Priscus quibus artibus regno potitus est? (B). 2) Rusticae vitae laudatio e Cic. orat. p. Rosc. Am. repetita (A).

Furius Camillus parens patriae conditorque alter urbis haud vanis laudibus appellabatur (Liv. V. 49) (B). 3) Quibus argumentis Socrates comprobare studet, nefas esse ex carcere effugere? 4) Res ab Antonio secundum Caesaris caedem gestae enarrantur. 5) In patriae salute tuenda quibus difficultatibus conflictatus Demosthenes est? (A). De vita ac consiliis Demosthenis brevis disputatio (B). Clausurarbeit. 6) Pericles et auctoritate et eloquentia et consilio princeps civitatis suae (A). Quibus causis factum est, ut Rubicone traiecto Caesar brevi tempore Italiam in potestatem redigeret? (B) Caesaris cum Helvetiis bellum breviter describitur (C). 7) Dignum laude virum Musa vetat mori, coelo Musa beat (A). De causis et initiis belli Punici secundi (B). 8) Bella Persica insignia amoris patriae monumenta (A). Athenae Graeciam bellis Persicis ab interitu servarunt (B). Clausuraufsatz. – 9) De Vercingetorigis, summi Gallorum ducis, consilio, constantia, fortitudine (A). Vercingetorigis cum Caesare bellum breviter describitur (B).

B. für Cl. II. A: Quibus maxime virtutibus Scipio Afr. maior admirabilis exstiterit. 2) Aristidem Themistocle maiorem fuisse contendo. 3) Num iure Cicero in or. p. Sext. Roscio Am. habita Romanos non modo armis plus quam veteres nationes, verum etiam consilio sapientiaque potuisse dixerit. 4) Quid fecerint, quemque exitum habuerint ii viri, quos Cicero in orat. I. in Catil. habita statum reip. labefactasse dixit? 5) Themistoclis in consilio sociorum ante pugnam apud Salamina commissam oratio. B: De prima Caesaris in Britanniam expeditione. —

